Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift



sermone respondit. nichil se habere molestie / sed omnia quieta et tranquilla perspicere. Quid me
morem? fragilitate corporis uincebatur. Quod semel languor arripiens. longo tempore possi
debat / ut et nobis inquietudinem et sibi discrimen afferret / in quo illa letabatur. per momenta con
memoratis. miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Post hec obmutuit / et
clausis oculis. quasi humana uoce deficeret usque ad exspiracionem anime eosdem repetebat uer
siculos. Vt uix aure apposita quod dicebat audire possemus / digitumque ad os tenens. crucis
signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus et anhelabat in mortem / animaque erumpere gestiens
ipsum sudorem quo mortalium uita finitur in laudes domini conuertebat. Ad erant hierosolimorum
et aliarum urbium episcopi / et sacerdotum inferioris gradus. ac leuitarum innumerabilis multitudo. Omne
monasterium. uirginum et monachorum chori repleuerant. Statimque ut audiuit sponsum uocantem.
surge ueni proxima mea. columba mea / quoniam ecce hiemps transiuit pluuia abiit. sibi leta respondit.
Flores uisi sunt in terra / tempus sectionis aduenit. Et credo uidere bona domini / in terra uiuencium. Ex
hinc non ululatus non planctus ut inter sancti homines fieri solet / sed psalmorum linguis diuersis exami
na concrepabant. Translataque episcoporum manibus. et ceruicem feretro subicientibus. cum alii pontifices
lampadas cereosque preferrent / alii choros psallencium ducerent / in media ecclesia in spelunca
saluatoris est posita. Tota ad funus eius palestinarum urbium conuenit. Quem monachorum latencium turba
in heremo cellula sua tenuit / quam uirginum cubiculorum secreta tenuerunt. Sacrilegium puta
bat / qui non tali femine ultimum reddidisset officium. Uidue et pauperes in exemplum dorcadis uestes
ab ea prebitas ostendebant. omnis inopum multitudo matrem et nutriciam se perdidisse clamabant.
Quodque mirum sit nichil pallor mutarat in facie. sed ita dignitas quedam. et grauitas ora comple
uerat. ut eam putares non mortuam sed dormientem. Greco latino siroque sermone psalmi in ordi
ne personabant non solum triduo donec subter ecclesiam et uixta specum domini conderentur / sed per omnem
ebdomadam cunctis qui uenerant suum funus et proprias credentibus lacrimas. Venerabilis uirgo
filia eius eustochium quasi ablactata super matre sua abstrahi non poterat. de osculari oculos herere uul
tui. totum corpus amplexari. et secum matre uelle sepeliri. Testis est ihesus ne unum quidem nummum
ab ea filie derelictum: sed ut ante iam dixi. derelictum magnum es alienum. et quod ita difficilius
est fratrum et sororum immensam multitudinem. quod et sustentare arduum et abicere impium est. Quid hac
uirtute mirabilius / feminam nobilissime familie magnis quondam opibus tanta fide omnia largitam
ut ad egestatem pene ultimam perueniret. Iactent alii pecunias et in corbonan dei era congesta
funalibusque aureis dona pendencia / nemo plus dedit pauperibus. quam qui sibi nichil reliquit. Hec illa
diuiciis fruitur / et his bonis que nec oculis uidit nec auris audiuit. nec in cor hominis ascenderunt. Hiram
uicem dolemus / et inuidere pocius glorie eius uidebimur si uoluerimus diuiciis flere regnantem. Secura
esto eustochium / magna hereditate ditata est. Pars tua dominus. et quo magis gaudeas. mater tua longo
martyrio coronata est / non solum effusio sanguinis in confessione reputatur. sed deuote quoque
mentis seruitus cotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et uiolis texitur / ista de lyliis. Vnde et
in cantico describitur canticorum. frater tuus mens candidus et rubicundus. et in pace. et in bello eadem
premia uincentibus tribuens. Mater inquam tua audiuit cum abraham exi de terra tua et de cognaci
one tua / et ueni in terram quam ostendam tibi / et per hieremiam dominum precipientem. Fugite de medio ba
bylonis / et saluate animas uestras. Et usque ad diem mortis sue non est reuersa in chaldeam. nec ollas egypti